

consilium Dei de baptismo adspexerantur. s) Unde Christus necessarium ducebat, ut Nicodemo salutis viam scire cupienti baptismi necessitatem inculcaret, & doceret, non sufficere in regnum cœlorum introituro, quod ex Abrahami stirpe prognatus sit, sed alia nativitate opus esse ex aqua & spiritu, cum sine ea nemo Dei regnum intrare possit. Quomodo baptismum clarius describere potuisset? Est enim in baptismo aqua cum Spiritu S. conjuncta, tantæque virtutis, ut hominem regenerare, Deique regnum referare possit. Gentiles Taurobolio suo tantum tribuebant, ut in veteri quadam inscriptione legatur: TAVROBOLIO CRI-
OBOLIOQVE IN AETERNVM RENATVS ARAM SA-
CRAVIT. t) Judæi quoque suis Profelytis per circum-
cisionem, baptismum, & sacrificii oblationem initiatis novam nativitatem promittebant. u) Verum quod neque Taurobolium Gentilium, nec Profelytorum baptismus præ-
stare potuit, institutum a Christo baptismi Sacramentum revera præstat. Est enim *λεπτον ταλιγγενεσίας καὶ άνασ-
νόσεως* seu lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sanctus, quo per Dei gratiam & Christi meritum salvi reddimur, ut Apostolus testatur, x) qui hac baptismi descriptione ad Christi cum Nicodemo colloquentis verba omnino respicere videtur.

s) *Luc. VII, 30.* t) *Salmas, not. in Ael. Lamprid. pag. 180.* Rigalt.
not. in *Cypr. p. 233.* u) *Selden. de jur. nat. et gent. lib. 2. c. 4.*
Geier. in *Psalm. 39. v. 13.* p. 747. x) *Tit. III, 4. 5. 6. 7.*

§. XXI.

Atque hinc etiam primitivæ ecclesiæ Patres magno consensu verba Christi de baptismo interpretati sunt. E quorum numero Cyprianus, cum adhuc *in tenebris jaceret, εἰς in-
salo seculi nutabundus ac dubius oberrantibus vestigiis fluctua-
ret, vite suæ nescius veritatis ac lucis alienus*, Nicodemi instar difficile prorsus ac durum opinabatur, quod in salutem ipsi divina indulgentia pollicebatur, *ut quis renasci-*

C 2

denuo